444
E 171
E
171
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

48.
KW 444
E 171

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE

Condictione Indebiti.

QUAM,

PRÆSIDE DEO TER. OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

JOHANNIS VOET, J.U.D.
Ejusdemque Facultatis in Illustri Academiâ Lugd.-Bat. Professoris ordinarii.

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in Jure utroque Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

ANTONIUS BOUWER, DAVENTRIENSIS.

Ad diem 29 Martii horâ locoque solitis.





LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

EVERHARDO
BOUWER,
J. U. D. & Confulari viro Reipublicæ Daventrienfis, patri fuo, ea, qua par eft, pietate colendo.

Difputationem hanc Inauguralem devoto animo dedicat.

ANTONIUS BOUWER.
Auctor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171



DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS, DE

Condictione Indebiti.



Quoniam Scripturus pro more Candidatorum Disputationem Inauguralem, explicandam mihi sumpsi Condictionis indebiti materiam; quæ commodè intelligi nequit, si non ante noscamus quotuplex sit obligatio, propterea quod pro obligationum varietate aliquid censetur debitum aut indebitum; ideo rectius me facturum credidi, si breviter quædam de obligationibus separato capitulo præmitterem, quam si hic illic aliquid intersererem. Cæterum non est animus multa præfatione chartam replere; instituti mei rationem tantum mihi reddendam existimavi, ne cui inconveniens videatur, Disputationem, cui titulus. De Condictione indebiti, *initium capere ab obligationibus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

CAPUT I.

De Obligationibus.

1. OMnis obligatio est juris quoddam vinculum quo adstringimur ad aliquid præstandum. Prout autem nobis vinculum injicit aliquando sola naturalis æquitas; interdum mera juris civilis subtilitas; quandoque jus civile & æquitas simul; ita obligatio dividitur in naturalem, merè civilem, & mixtam. Naturalem quod attinet obligationem (quam solo æquitatis vinculo sustineri tradit Papinianus [a]) eam jus civile destituit vel in totum, adeo ut nec actio nec exceptio eius nomine competat; vel pro parte potissimâ, ut actio inde non detur. Obligatio naturalis, quam plane destituit jus Civile, vocatur propterea minus plena, eamque vel lex omnino non juvat, vel prohibet. Exemplum ejus, quæ non juvatur, est obligatio ad remunerandum; illi enim non legimus eos effectus tribui, quos obligatio naturalis plenior habet: & eatenus vocatur tantum naturalis obligatio, quatenus naturaliter honestum est, ei, qui beneficium in nos contulit, gratiam referre: Cæterum inter dantem & accipientem beneficium illud non agitur (inquit Duarenus [b]) ut is, qui dedit, eo nomine quicquam recipiat. Alioquin enim non beneficium sed creditum esset. Hinc negat Ulpianus [c] bonæ fidei possessores, qui ex hereditate donaverunt, locupletiores factos: quamvis ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligaverunt. Prohibitæ obligationis naturalis exemplum est obligatio mulieris intercedentis; eam enim SCtum in totum improbat, sic ut nec fidejussores teneantur. [d] Pupilli quoque obligatio sine tutoris auctoritate contracta pro parte huc pertinet, quantum enim ad ipsum pupillum nullos habet effectus, quantum ad alios effectibus non caret. Verum de hac obligatione res non valdè expedita est, eo, quod quædam leges pupillum naturaliter obligari ajunt, quædam negant. Statuendum videtur pupillum, qui ejus ætatis est, ut consentire possit, & qui intelligit quid agat, naturaliter ex promisso suo obligari. [e] Unde etiam fidejussor huic obligationi accedens efficaciter obligatur. [f] Et novatio

per

a L. 95. §. 4. ff. d. Solut.

b Ad Tit. d. Cond. Ind.

c L. 25. §. 11. ff. d. Her. Pet.

d L. 16. §. 1. ff. ad SCtum Vellej. l. 9. C. eod.

e L. 25. §. 1. Quand. dies leg. l. 21. ad l. Falc. l. 95. §. 2. l. 44. d. solut.

f L. 127 ff. d. Verb. Obl.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

per hanc obligationem fieri poteſt. [g] Quia autem (uti dictum) in gratiam & favorem pupilli huic obligationi vis omnis eatenus eſt detracta, quatenus cæteroquin ipſi pupillo nocere poſſet, ideo quidam ICti ita loquuntur, ac ſi ne naturâ quidem pupillus obligaretur. [h] Apparet itaque obligationem pupilli admodum ſingularem eſſe. Obligatio naturalis plenior, quæ ex parte tantum deſtituitur, non ſpernendos habet effectus; qui potiſſimum in his conſiſtunt, quod naturale debitum poſſit compenſari. Quod per errorem ſolutum poſſit retineri ut debitum, de quo plura inferius: quod admittat conſtitutum. [k] Fidejuſſores. [l] Pignora. [m] Et Novationem. [n] Exempla hujus obligationis ſunt contractus ſervorum. [o] Et pacta nuda. [p]

2. Obligatio civilis eſt vinculum ſolius juris civilis æquitate naturali carens. Hæc actionem quidem parit, ſed quæ exceptione elidi poteſt. Adeo ut effectu inſpecto hæc propriè obligatio dici nequeat. Nihil enim intereſt (teſte Paulo.) [q] Ipſo jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. Exempla nobis exhibet Imp. Juſtinianus his verbis: *Si metu coactus, aut dolo inductus aut errore lapſus ſtipulanti promiſiſti, quod non debueras promittere, palam eſt jure civili te obligatum eſſe, & actio, qua intenditur dare te oportere efficax eſt: ſed iniquum eſt te condemnari. Ideoque dabitur tibi exceptio.* [r]

3. Eſt & alia ſpecies civilis obligationis, quæ quidem revera nititur ſolâ ratione juris Civilis, cui tamen naturalis æquitas ineſſe præſumitur. Talis eſt obligatio rei judicatæ. Quippe *Res judicata pro veritate habetur:* [s] licet veriſſimum ſit condemnatum nihil omnino debere, & rem aliter ſe habere ac judicatum eſt. [t]

4. Obligatio naturalis & civilis ſimul, ſeu mixta, eſt, quam ſuſtinet & naturalis æquitas & pariter juris Civilis auctoritas: eaque producit actionem efficacem, ac præcipuè obligatio vocatur, quemadmodum & is propriè debitor intelligitur, à quo invito exigi pecunia poteſt. [u] Hæc definitur, quod ſit *Juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ ſecundum noſtræ Civitatis jura.* [x]

g *l. 1. in fin. ff. d. Novat.*
h *L. 41. ff. d. Cond. Ind. l. 59 ff. d. O. & A.*
i *L. 6. ff. d. Conpenſ.*
k *L. 1. §. 6. & 7. ff. d. Conſt. Pec.*
l *L. 6. in fin. & l. 7. ff. d. Fidej. §. 1. Inſt. eod.*
m *L. 5. ff. d. Pign.*
n *l. 1. in fin. ff. d. Novat.*
o *L. 13. pr. ff. d. Cond. Ind.*
p *L. 84. §. 1. ff. d. R. I. junct. l. 1. ff. d. Pact.*
q *L. 112. ff d. R. I. add. l. 25. ff de Verb. Obl.*
r *§. 1. Inſt. d. except.*
s *L. 207. ff. d. R. I.*
t *L. 25. ff. d. Stat. Hom.*
u *L. 108. ff. d. V. S.*
x *Pr. Inſt. d. Obl.*

CAPUT II.

De Condictione indebiti.

1. **C***ondictio indebiti est actio personalis ex quasi contractu, ad repetendum id, quod indebitè per errorem solutum est.* Dicitur *ex quasi contractu*: Ex vero enim contractu hanc actionem non dari, indicat Julianus. [a] His verbis; *Non omnis numeratio eum qui accepit obligat: sed quoties id ipsum agitur, ut confestim obligaretur.* Ad verum igitur contractum ineundum illud agi oportet, ut obligatio constituatur. Is autem, qui indebitum per errorem solvit, expressè contrarium agit; nam non alia intentione solvit, quam ut liberetur ab obligatione, qua se teneri putat. Quia tamen jus (propterea quod naturâ æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem. [b]) æquissimam fecit interpretationem; qua solvens illud agere censetur, ut si postea appareat indebitum fuisse quod solutum est, restitutio fiat: Et accipiens eo animo esse, ut nolit retinere quod alienum est: ideo hic illi quasi ex contractu obligatur. Ex præsumpto igitur, seu à legibus ficto consensu, extra id quod agitur tacita nascitur obligatio, teste Pomponio. [c] Hinc ait Imp. Justinianus. [d] Si certiorem rationem sequamur, dici posse, accipientem magis ex distractu quam ex contractu esse obligatum. Cum tamen propriè loquendo ex distractu obligatio nasci nequeat.

2. Requiritur primo in definitione ut aliquid sit *solutum.* Ut tamen si aliquid indebitè fuerit promissum, non solum agenti exceptio opponi, [e] verum etiam cautio condici possit. [f] Soluti autem verbum duo continet, ut quid detur reipsa, & ut detur tanquam debitum. Datio igitur seu Dominii translatio fit per solutionem. [g] Is enim qui aliquid ut debitum solvit, ideo dat, ut per dationem liberetur ab obligatione, ac proinde eo animo ne unquam repetatur. [h] Accipiens itidem ea mente accipit, ut solventem ab obligatione dimittat, ipseque rei solutæ dominus fiat: licet revera nulla obligatio intercesserit.

3. Exigitur secundò, ut sit *indebitum* quod solutum est. Pro diversitate autem obligationum diversæ etiam considerandæ sunt inde-

a *l.* 19. *ff. d. Reb. Cred.*
b *l.* 14. *ff. h. t.*
c *l.* 13. *in fin. ff. Commod.*
d § 1. *Inst. quib. mod. re contr. obl. & §. ult. d. obl. quæ quas. ex contr. nasc.*
e *l. ult. ff. ad SCtum Maced.*
f *l.* 3. *C. & l.* 31. *ff. h. t.*
g *l.* 53. *& arg. l.* 26. *ff. h. t.*
h *l.* 55. *ff. d. solut.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

indebiti ſpecies: Nam vel debetur aliquid ex obligatione naturali tantum, & civiliter eſt indebitum: vel ex obligatione merè civili, & naturaliter eſt indebitum: vel neque ex civili neque ex naturali obligatione debetur. Quod ex obligatione naturali pleniore debetur illud ſolutum nullo modo poteſt repeti. [i] Exemplum eſt in eo quod ex nudo pacto debetur. Ex nudo enim pacto naturalis tantum, non vero civilis & efficax ad agendum obligatio naſcitur: quod ideo Romani conſtituiſſe videntur, ne Judices nimium litibus diſtraherentur: nam ſi ex nudo pacto actio data fuiſſet, ſæpe ob quævis vaga dicta & promiſſa, alter alterum in jus vocaſſet. Suppeditatur quoque exemplum naturalis debiti à Triphonino [k] his verbis: *Si quod dominus ſervo debuit, manumiſſo ſolvit, quamvis exiſtimans ſe ei aliqua actione teneri, tamen repetere non poterit: quia naturale agnovit debitum.* Quod ſi naturalis obligatio ſit minus plena, qualem inducit voluntas teſtatoris minus ſolennis, vel legantis ſupra dodrantem bonorum, tunc condictio competit ſi aliquid ſolutum ſit errore facti, non juris. [l].

4. Secunda *indebiti* ſpecies eſt ejus, quod naturaliter non debetur, civiliter autem eſt debitum; quale eſt id, quod metu aut dolo promiſſum eſt. Atque illud ſolutum repeti poteſt. [m] Eſt aliud debitum jure civili, quod rectè exigitur; quale eſt quod ex re judicata debetur; ac idcirco ex ea cauſa ſolutum repeti nequit [n] utpote quod verum cenſetur debitum. Et cum detur ad illud petendum actio, multo magis retentio concedi debuit.

5. Tertia *indebiti* ſpecies eſt ejus quod nullo modo debetur nec naturaliter nec civiliter; cujus ſoluti procul omni dubio repetitio eſt. [o] Hujuſmodi debitum quoque cenſetur illud quod ſub conditione vera debetur; Ideoque quod pendente tali conditione ſolutum eſt condici poteſt. [p] Antequam enim conditio exiſtat nulla omnino nata eſt obligatio; nam ex ſtipulatione conditionali (uti ait Imp. Juſtinianus. [q]) tantum ſpes eſt debitum iri. Secus eſt, ubi quid ſolutum, quod debebatur ſub conditione certò extitura; tunc enim condictio denegatur. [r] Quia propter eventus certitudinem tale debitum pro puro habetur. [ſ]

6. Quod ſi quis exceptionem habeat perpetuam, & per errorem ſolverit, adhuc condictioni locus eſt. Verum hoc non eſſe perpetuum tradit Marcianus. [t] Nam ſi exceptio detur in odium ejus cui debetur, perperam ſolutum non repetitur. Veluti ſi filius-

i *l.* 13. *l.* 19. *ff. h. t. l.* 3. §. *ult. quod quiſq. jur.* &c.

k *l.* 64. *ff. h. t.*

l *l.* 9. *C. ad l. Falc* & *l.* 7. *C. h. t.*

m *l.* 26. §. 3. *ff. h. t.*

n *l.* 1. *C. h. t.* & *l.* 36. *ff. Fam. Erciſc.*

o *l.* 26. §. 3. *ff. h. t.*

p *l.* 16. 18. & 48. *ff. h. t.*

q §. 4. *Inſt. d. Verb. Obl.*

r

ſ *l.* 18. *ff. h. t. l.* 9. §. 1. *ff. d. Novat.*

t *l.* 40. *ff. h. t.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

liusfam. contra SCtum Macedonianum mutuam pecuniam acceperit, & paterfam. factus solverit, non repetit. Cujus etiam hæc ratio affertur, quod naturalis obligatio maneat. [u] Ubi vero exceptio in excipientis favorem est introducta, solutum repeti potest (Veluti si mulier ex intercessione solverit.) Quod tamen itidem non est perpetuum. Nam si unus ex pluribus fidejussoribus solidum per errorem solverit, partem revocare nequit. [x] Cum tamen beneficium divisionis fidejussorum gratia sit concessum. Item si quis in aliena area tanquam propria ædificaverit, is per exceptionem doli mali rem tam diu retinere potest, donec impensæ fuerint restitutæ. [y] qui tamen si possessionem domino tradiderit, condictionem non habet, quia nihil accipientis fecit. [z] Verus quoque debitor per iniquam Judicis sententiam absolutus, licet exceptione perpetua & in suum savorem introducta tutus sit, tamen si solverit, repetere non potest, quia naturaliter manet obligatus. [a] Æquitas enim naturalis non dependet ab arbitrio Judicis. Si tamen absolutus conveniatur, datur ei exceptio rei judicatæ propter utilitatem publicam, ut aliquis sit litium finis. Duarenus ad h. t. Bachovius. [b] & Perezius. [c]

7. Si incertum, utrum exceptio perpetua an vero temporalis sit, condictio non denegatur; Veluti si quis, ne conveniatur *donec Titius consul fiat*, paciscatur: tunc quia potest decedente, Titio perpetua fieri exceptio, quæ, Titio consulatum ineunte ad tempus est: *summa ratione* (inquit Papinianus. [d]) *dicitur, quod interim solvitur repeti.* Si vero exceptione dilatoria tantum & temporali creditor agens repelli possit, solutum repeti nequit. Hinc is qui in diem certum debet, ac ante diem solvit, condictionem non habet, quia certo constat diem venturum. *In diem debitor* (ait Paulus. [e]) *adeo debitor est, ut ante diem solutum repetere non possit.* Quoties enim in diem quid promissum est, statim dies cessit & obligatio nata est. [f] Debitum autem exigi ante diem non potest. [g] Eoque respectu inquit Ulpianus. [h] *Diem adjectum efficere ne præsenti die pecunia debeatur.* Ita scil. non *debetur* ut statim cum effectu exigi possit. Diei incerti econtrariò longè alia ratio est, is enim conditionem facit: propterea quia potest non venire; ideoque illud, quod in talem diem debetur, si antè diem solutum sit, tanquam indebitum repeti potest. [i] Nisi sit ejusmodi dies, de quo incertum quando, certum autem quod aliquando ventu-

u l. 10. ff. ad SCtum Mac.
x l. 49. §. 1. ff. d. Fidej.
y l. 14. §. 1. ff. Comm. Divid.
z l. 33. & 51. ff. h. t.
a l. 60. ff. h. t.
b ad Treutl. p. 2. Disp. 22. Th. 4. lit. H.
c in Cod. tit. d. O. & A.
d l. 56. ff. h. t.
e l. 10. ff. h. t.
f l. 213. ff. d. V. S.
g l. 46. ff. d. V. O. & d. l. 213.
h l. 41. ff. d. V. O.
i l. 56. ff. h. t.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

venturus sit. *Nam si cum moriar dare promisero, & antea solvam, repetere non possum.* [k] Cum itaque is qui in diem certum aliquid debet, adeo debitor sit, ut ante diem solutum repetere non possit, quæritur an non sortis citius solutæ interusurium reddi debeat? Quod licet affirmandum suadeat æquitas, præsertim ubi multi adhuc anni præterire debuerant antequam debitor ad solutionem urgeri potuerat: In puncto tamen juris verior videtur contraria sententia; Quia nulla causa subest ex qua hæ usuræ exigi possent: Præterea ubi principale non potest peti, ibi nec accessorium. [l] Insuper creditor nihil aliud quam sibi debitum accepit, ejusque statim dominus effectus est, adeo ut commodum & utilitas dominii non immeritò ad eum pertinere dicatur. Ita sentiunt Perezius in Cod. h. t. Zoesius ad π. h. t. D. Johann. Voet. Præceptor meus in suo compendio h. t. Bokkelmann. aliique ad h. t.

k l. 17. eod.

l l. 26. C. d. Usur.

8. Ex persona quoque dantis & accipientis æstimatur *indebitum*; si quod alii debetur, alii solvatur: aut si id quod alius debebat, alius quasi ipse debeat, solvat. [m] Proinde ita solutum repeti potest. *Quamvis debitum sibi quis recipiat* (inquit Pomponius.[n]) *tamen si is, qui dat, non debitum dat: repetitio competit: Veluti si is qui heredem se vel bonorum possessorem falso existimans, creditori hereditario solvit. Hic enim neque verus heres liberatus erit: & is quod dedit repetere poterit.* His non sunt contraria sequentia verba Pauli. [o] *Repetitio nulla est ab eo qui suum recepit: tametsi ab alio quam vero debitore solutum est.* Distinguendum enim est, utrum quis suo nomine solverit quod alius debet; an vero nomine veri debitoris. Priori casu competit condictio, & verus debitor non liberatur. [p] Nam quod quis suo nomine solvit, non debitoris, debitorem non liberat. [q] Et quidem ideo non liberari verum debitorem tradit Africanus, quia is, qui suo nomine solvit indebitam pecuniam, ejus repetitionem habet. [r] Posteriori casu condictio non datur. Ex. gr. Si negotiorum meorum gestor pro me solvit, non dabitur condictio, quia solvit meo nomine, qui verè debebam, qua solutione ipse liberatus fui. Alius enim pro me solvendo me liberat. [s] Quod adeo verum est, ut liberer, licet pro me invito solutio fiat. Naturalis enim simul & civilis ratio suasit, alienam conditionem meliorem etiam ignorantis & inviti nos facere posse. [t]

m l. 65. § ult. ff. h. t.

n l. 19. § 1. eod.

o l. 44. eod.

p d. l. 19. § 1. & d. l. 65. § ult. & l. 5. C. eod.

q l. 31. ff. d. Her. Pet.

r l. 38. § 2. ff. d. solut.

s l. 1. § 24. ff. d. Exerc. Act.

t l. 39. ff. d. Neg. gest.

9. Porro ut hæc condictio competat, necesse est ut solutio

facta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

facta sit per errorem. Quippe qui sciens indebitum solvit, non repetit.[u] Cujus enim per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est.[x] Hinc is, qui cum sciret se perpetua exceptione tutum, solvit, repetere non potest.[y] Quod adeo verum est, ut, etiamsi quis sciens solverit indebitum hac mente ut postea repeteret, repetitio denegetur.[z] Propositum enim in mente retentum nihil operatur. Secus est, ubi apertè hanc legem solutioni dixit.[a] Quod si quis sciens aliquid indebitè promiserit, licet non solverit, promissionem minimè condicere poterit.[b] De eo qui dubitans indebitum solvit, olim disputatum fuit, an ei concedi deberet repetitio, propterea quod is, qui dubitans solvit, non per errorem, sed transactionis causa solvere præsumatur & videatur solutione sua dubitationem tollere. Verum Imp. Justinianus rejecta hac ratione condictionem concessit.[c] Quia contra animo dubio & incerto solventem transactionis præsumptio induci non potest, eo quod in transactionibus voluntas & consensus intervenire debeat. Et in dubio melius est favere repetitioni, quam adventitio lucro.[d]

[u] l. 1. l. 26. §. 3. eod. & l. 9. C. h. t.
[x] l. 53. ff. d. R. I.
[y] l. 26. §. 3. ff. h. t.
[z] l. 50. eod.
[a] l. 2. eod.
[b] l. 24. eod.
[c] l. ult. C. h. t.
[d] l. 41, §. 1. ff. d. R. I.

10. Quoniam autem error duplex est juris & facti.[e] Anceps hic occurrit quæstio, de quo errore hoc intelligendum sit, quod passim legimus; Indebitum per errorem solutum condici posse. Plurimi Interpp. respondent simpliciter de errore facti tantum, non juris: moti præcipue l. 10. C. d. jur. & fact. ign. ubi ita Impp. rescribunt: *Cum quis jus ignorans indebitam pecuniam solverit: cessat repetitio: per ignorantiam enim facti tantum repetitionem indebiti soluti competere tibi notum est.* Et rationem differentiæ reddunt: Quod jus finitum & possit & debeat esse: facti autem interpretatio plerumque prudentissimos fallat.[f] Verum si econtrario consideremus, quod nec Imp. Justinianus,[g] Nec Veteres JCti in omnibus Pand. legibus, nec Impp. in plerisque legibus Cod. h. t. aut tantum propter errorem facti repetitionem concedunt, aut propter juris errorem denegant, sed simpliciter errore solutum repeti posse, & solam scientiam obstare pronunciant: Probabilius videntur alii statuere; Ubi nulla subest naturalis obligatio, ibi errorem juris non impedire condictionem indebiti: Veluti si quis dolo inductus aut metu adactus promiserit, ac postea per errorem juris ex tali stipulatione solverit. *Jure enim naturæ æquum est neminem cum alterius jactura fieri locupletiorem.*[h] Quæ regula si in ullo,

[e] l. 1. ff. d. Iur. & fact. ign.
[f] l. 2. ff. d. Iur. & fact. ign.
[g] §. 6. Inst. d. Obl. quæ quas. ex contr. nasc.
[h] l. 206. ff. d. R. I.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

maximè in casu proposito obtinere debet, ubi cæteroquin is, qui accepit, non tantum cum alterius detrimento, verum etiam propter proprium dolum & improbitatem locupletaretur: Quod foret iniquissimum. Et testatur alibi Imp. Justinianus; Nemini legibus concedi ex delicto & improbitate impium sibi lucrum afferre. His accedit, quod hæc condictio ex bono & æquo introducta, quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, revocare consuevit: teste Papiniano.[i] Quod autem solvens in jure erravit, id nullam justam causam retinendi tribuere potest ei, qui accepit, quod sibi nullo modo debebatur. Tradit præterea Papinianus.[k] Juris ignorantiam non prodesse acquirere volentibus: suum vero petentibus non nocere. Et generaliter in damnis amittendæ rei omnibus non nocere juris errorem. Frustrà reponitur, quod agatur de re amissa, quando res condictione indebiti repetitur. Nam si per solutionem indebitè factam res ita sit amissa, ut nullo modo repeti possit, verissimum est juris errorem in re amittenda nocuisse. Uti eleganter disputat Bachovius.[l] Et hæc sententia, quod, ubi nulla omnino subest naturalis obligatio, errore juris solutum repeti possit, non una lege confirmatur. *Ex ea stipulatione* (ait Pomponius.[m]) *quæ per vim extorta, si exacta esset pecunia, repetitionem esse constat.* Julianus quoque ex sententia Nervæ & Attilicini respondet pecuniam solutam ab eo qui se debere quidem putabat, verum ignorabat quod se exceptione doli mali tueri potuisset, repeti posse.[n] Et apertissimè juris error deprehenditur in casu à Papiniano proposito, de muliere quæ putabat se matrimonium posse contrahere cum avunculo, illique eum in finem dotem dederat; cui tamen condictio conceditur.[o] Allegata itaque lex 10. C. intelligenda videtur de ejusmodi casibus, quales proponuntur in illis legibus, in quibus hæc distinctio inter solutum errore juris, & facti, occurrit. Veluti si quis per errorem facti, non retinuerit quartam ex causa fideicommissi, is repetere potest: Si vero sciens se posse retinere, aut errore juris universum restituerit, condictionem non habet.[p] Hic enim qualis qualis saltem subest naturalis obligatio, quæ justam retinendi causam tribuit ei, qui accepit. Unde heres, qui omisit Falcidiæ commodum, pleniore pietatis officio functus dicitur.[q] Ita statuunt Bachovius, Vinnius, Huberus, aliique.

i *l. 66. ff. h. t.*

k *l. 7. & 8. ff. d. Iur. & fact. ign.*

l *Tract. d. Act.*

m *l. 7. ff. d. Cond. ob turp. caus.*

n *l. 7. ff. d. Cond. caus. dat. &c.*

o *l. ult. ff. d. Cond. sin. caus.*

p *l. 9. C. ad l. Falcid.*

q *l. 5. §. 15. ff. d. Donat. int. vir. & ux.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

CAPUT III.

1. Actio, qua indebitum repetitur, vocatur condictio indebiti.[a] Aliquando condictitia actio;[b] quandoque actio condictionis.[c] Sæpius simpliciter condictio. Eaque datur illi qui indebitum per errorem solvit: ut & heredi ejus.[d] Delegato quoque qui alieno creditori pecuniam à se indebitam promisit suo nomine, adversus eum, qui delegavit, competit condictio.[e] Aliquando etiam illi cujus interest, etiamsi ipse non solverit.[f] Non enim novum esse tradit Ulpianus.[g] ut, quod alius solvit, alius repetat. Si procurator solverit ex mandato Domini, aut si Dominus solutionem ratam habuerit, tunc Domino competit hæc actio: si vero nec mandatum nec ratihabitio intercesserit, ipsi procuratori datur.[h] Quod si duo rei aut reus & fidejussor, qui decem debebant, viginti pariter solverint: celsus ait, singulos quina repetituros: quia cum decem deberent & viginti solvissent. quod amplius ambo solverint, ambo repetere possunt.[i] Si vero non pariter sed diversis temporibus solverint: is qui posterius solvit, indebiti condictionem habet, quia is solus indebitum solvit.[k]

a §. 2. Inst. quib. mod. re contr. obl.
b d. §. 2.
c l. 1. C. h. t.
d l. 12. §. 1. ff. h. t.
e l. 2. C. h. t.
f l. 61. ff. h. t.
g l. 5. eod.
h l. 6. eod.
i l. 19. §. ult. & l. seq. eod.
k l. 25. eod.

2. Datur adversus eum hæc condictio, cui quid indebitè solutum est, non contra eum cui solutio profuit.[l] Nam hæc actio (uti Cap. 2. dictum) personalis est ex quasi contractu, ac ideo personam sequitur. Si procuratori solutum sit indebitum, adversus ipsum competit hæc actio, nisi Dominus ei mandaverit ut reciperet, aut ratum habuerit, tunc enim adversus Dominum datur.[m]

l l. 49. ff. h. t.
m l. 6. eod.

3. Repetitur hac actione id ipsum quod solutum est; aut tantundem.[n] Nam si species quædam soluta fuerit, puta, Stichus, tunc ea ipsa species repetitur. Quando vero res fungibilis soluta est, tantundem repetitur. Quantitas restituitur sine usuris; *Actione enim condictionis* (*uti ait Imp. Anton.*[o]) *ea sola quantitas repetitur, quæ indebita soluta est.* Species vero soluta restitui debet cum fructibus, partu & accessionibus, deducta tamen impensa.[p] Si ususfructus in re soluta alienus sit, deducto usufructu res condicitur.[q] Promissio quoque condici potest, ut liberetur is, qui indebitum promisit.[r] Item indebitæ quantitatis interposita scriptu-

n l. 7. eod.
o l. 1. C. h. t.
p l. 15. & 65. §. 5. ff. h. t.
q d. l. 15. §. 2.
r l. 31. eod.

ptura.[f] Nec non possessio.[t] Servitus[u] Et rei æstimatio.[x] Notandum autem eum à quo indebitum condicitur, eatenus tantum damnari, quatenus est factus locupletior: adeo ut si quis servum indebitum sine fraude modico distraxerit, ad hoc solum refundendum teneatur, quod ex pretio habet.[y] Vel si servum indebitum nesciens manumiserit, non teneatur ad pretium ejus.[z] Sic quoque habitatione indebitè data, pecunia condicetur, non quidem quanti locari potuit, sed quanti alter conducturus fuisset.[a] Quod si quis centum debens, cum existimaret se debere ducenta, fundum ducentorum in solutum dedit; is fundum repetere potest, & centum manet stipulatio. Licet enim res pro pecunia soluta pariat liberationem: tamen si ex falsa debiti quantitate majoris pretii res soluta est, non fit confusio partis rei cum pecunia: quia nemo ad communionem invitus compellitur: sed integræ rei manet condictio & obligatio incorrupta: ager autem retineri potest donec debita pecunia solvatur.[b] Aliud obtinet, si quis, cum deberet centum & putaret se debere ducenta, solverit rem fungibilem, veluti oleum quod valebat ducenta, tunc enim pars tantum olei condicitur;[c] Quia nihil in iis rebus est incommodi.

4. Quæsitum fuit, si quis ad duas res disjunctim obligatus veluti Stichum aut Pamphilum, utrumque per errorem solverit, cui electio competeret? Ulpianus & Marcellus existimabant, ei qui accepit, dari arbitrium retinendi quod vellet.[d] Imp. Justinianus autem illorum sententiam improbavit, & cum Papiniano ac Juliano electionem recipiendi concessit ei, qui & dandi habuit.[e] Quæ tamen electio cessat, si, postquam uterque servus solutus esset, alter ex his in rerum natura esse desiit: tunc enim nihil repetetur; sed manebit in soluto id quod superest.[f] Ratio est, quia si ante solutionem desiisset in rerum natura esse, nullam promissor electionem haberet.[g] Quod si duo rei debentes Stichum aut Pamphilum, utrumque pariter solverint, tunc, quia per partes repetere non possunt, quippe qui nec solvere sic ab initio potuerunt; electio est creditoris cui velit solvere: ut alterius repetitio impediatur.[h] Utique quod unus solvit alter repetere non potest: eoque si electio danda esset solventibus, ea in partibus rerum solutarum futura esset: quod ratio juris non patitur. Creditor enim hominem debitum in partibus diversorum hominum accipere non cogitur.[i]

f l. 3. C. eod. 1.
t d. l. 15. §. 1.
u l. & 22. 12. ff. h. t.
x l. 26. §. 12. eod.
y d. l. 26. §. 12.
z l. 65. §. 8. eod.
a d. l. 65. §. 7.
b l. 26. §. 4. eod.
c d. l. §. 5.
d d. l. 26. §. 12. in fin.
e l. pen. C. h. t.
f l. 32. ff. h. t.
g l. 34. §. 2. ff. d. Contr. Empt.
h l. 21. ff. h. t.
i l. 2. §. 1. ff. d. Verb. Obl.

5. Cui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

5. Cui incumbat probatio videbitum fuisse quod solutum est, docet nos Paulus[k] qui ait: ita rem temperandam esse, ut si is, qui accepisse dicitur rem vel pecuniam indebitam, hoc negaverit, & is, qui dedit, legitimis probationibus solutionem ad probaverit, sine ulla distictione ipsum qui negavit sese pecuniam accepisse, si vult audiri, compellendum esse ad probandum quod pecuniam debitam accepit. Sin vero ab initio solutionem quidem confiteatur, dicat autem sibi debitum solutum esse, tunc actori incumbere probationem. Nisi is sit vel pupillus, vel minor, vel miles, vel agricultor, vel mulier: quo in casu, is, qui accepit pecunias, ostendere debet benè se eas accepisse, & debitas fuisse.

k l. 25. ff. d. Prob. & Præsumpt.

CAPUT. IV.

1. CEssat hæc condictio in quibusdam casibus; quales sunt illi in quibus insiciando lis crescit in duplum; veluti in actione L. Aquiliæ; depositi miserabilis (id est, quod incendii, ruinæ, naufragii causa factum est.[a]) Et in actione legatorum quæ Sacrosanctis Ecclesiis, & cæteris venerabilibus locis, quæ vel religionis vel pietatis intuitu honorantur, relicta sunt.[b] Cujus rei communiter hæc ratio redditur, quod is, qui simplum ex hac causa solvit, ideo solvisse præsumitur, ne insiciando periculum dupli subiret; atque ita quasi de duplo transegisse. Non sine ratione autem requirunt hic interpretes, ut causa aliqua subsit, Verb. Gr. ut damnum datum, licet non ab eo qui solvit: & legatum in pios usus relictum sit, licet minus solenniter.

2. Quæri solet an renunciatio quoque faciat cessare hanc condictionem? Et quidem generalem renunciationem non impedire condictionem tradit Scævola.[c] De Speciali vero dicendum videtur, eam non magis impedire repetitionem si & ipsa per errorem facta sit: secus, ubi donandi animo facta est.

a l. 1. §. 1. cum seqq. ff. Depos.
b l. 4. C. h. t. §. ult. Inst. d. Obl. quæ quasi ex contr. nasc.
c l. ult. §. 3. ff. h. t.

CO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

COROLLARIA.

I.

Creditor reddendo; unum ex duobus chirographis non censetur remisisse debitum.

II.

Qui credidit in refectionem navis non habet legalem hypothecam.

III.

Res deposita ob impensas retineri nequit.

IV.

Mulier SCto Vellejano etiam extra judicium renunciare potest.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

Doctrina & virtute Nobilissimo juveni

ANTONIO BOUWER,

Cum pro gradu Doctoratus summisque in utroque jure honoribus ritè consequendis solidissimè disputaret.

ITe procul lachrymæ, procul hinc, procul ite querelæ,
Sit sine nube Dies prospera tota nobis:
Lætitia, ludisque viæ, nunc, plausibus æther
Personet innocuis, dulcisonisque modis.
Usus amicitiæ mansurus ritè per annos,
Carmen & incomptum pangere adegit amor.
Nam modo lux oritur, castis lux aurea votis
Exoptata diu, cunctaque læta ferens.
Tempus adest, *Bouwere*, tuum, quo præmia portas,
Præmia sollicito digna labore tuo;
Quo solidus tibi surgit honos, nec inutile nomen:
Quo poteris animi vota replere tui.
Certè si quemquam decuit decerpere fructus,
Si quemquam merito cinxit honore Themis,
Tu *Bouwerus* eris, patriæ spes inclyta vestræ,
Felix ingenio, corporeisque bonis.
Non labor ac moles te terruit ardua rerum,
Dum vigilas studiis, suavis amice, tuis.
Sic tibi Diva Themis voluit se pandere totam,
Sic cedunt Almæ munera Sancta Deæ.
Prospera sint magnis præmissa exordia cœptis,
Ulterius pergas, te decet altus honos:
Nunc aliud studium, majoraque mente voluta;
Te vocat in Patriam tempus & hora tuam.
Quod Felix, faustumque tibi Deus annuat, oro,
Et liceat terris te superesse diu.

Gratulabundus apposuit

HERMANNUS KELFFKEN,
J. U. Studiosus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 171